

McGILL UNIVERSITY LIBRARY

De Pulsu Inaequali

J. A. Ungebauer.

OAP
U57

This is a reproduction of a book from the McGill University Library collection.

Title: De pulsu inaequali ad mentem Galeni De causis pulsuum. libr. II. ...
Author: Hebenstreit, Johann Ernst, 1703-1757
Publisher, year: [Lipsiae] : Ex Officina Langenhemiana, [1741]

The pages were digitized as they were. The original book may have contained pages with poor print. Marks, notations, and other marginalia present in the original volume may also appear. For wider or heavier books, a slight curvature to the text on the inside of pages may be noticeable.

ISBN of reproduction: 978-1-926810-69-0

This reproduction is intended for personal use only, and may not be reproduced, re-published, or re-distributed commercially. For further information on permission regarding the use of this reproduction contact McGill University Library.

McGill University Library
www.mcgill.ca/library

Ungebauer

DE
PULSV INAEQUALI

AD
MENTEM GALENI DE CAUSIS PULSVVM
LIBR. II.

GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
CONSENSV

PRAESIDE
D. IO. ERNESTO HEBENSTREIT

ANATOM. ET CHIRVRG. P.P. ORD. ACAD. IMP. NAT.
CVRIOS. ET GALLICAE MASSILIENSIS SOCIO

PROGRADV DOCTORIS

DISPVTABIT

M. IOH. ANDREAS VNGEBAVER
NEOSTADIENSIS MISNICVS.

LIPSIÆ D. XIX. MAII MDCCLII.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



§. I.

Pulsus inaequalis consideratio necessaria.



Ex omnibus, quibus pulsus arteriarum corporis humani definitur numeris, ille medicorum animos ad maiorem circumspeditionem et aegri curam excitat, qui aequalibus interuallis haud describitur, quem propterea inaequalem, incertum et variantem compellare solemus. Nemo est medicinam facientium, qui in variis morborum generibus, periculum subesse haud intelligat, quamprimum vas illud elasticum, quod sanguinem a corde ad partes proiicit, moras temporis aequalibus distantibus subsultando, haud emetitur, sed vario modo passus celeres cum lentis, motus magnos cum remissis, ictus duros cum mollibus miscet, ut abinde ad statum violentiae, in quo cor versari, tremente arteria, debet, tandemque ad morbi ipsius indolem, causas, symptomata, euentum, dirigere animi aciem quis possit: Imo vero ab ista pulsuum conditione haud raro praestantioris remedii selectus dependet: Eo maioris etiam momenti pulsuum inaequali celeritate commotionum consideratio esse debet, quo certior et fere infallibilis est, quam

exinde performamus, morborum diagnosis ac prognosis, cum praeterea in reliquis pulsuum mensuris, expedita adeo res non sit, quin circa eorundem iudicium falli etiam exercitatiores in arte viri possint. ^{a)} Ast, variante aegrorum pulsu Tyrones etiam statim intelligunt, subesse causas, quibus cor in vtriusque motus sui metro et temporis debita mensura perturbetur, morbum propterea esse maligni moris, efficaciora requiri consilia. Intellexit id suo tempore Galenus, qui sicut doctrinam de signis, ^{b)} quae causam et eventum morborum indicant, ad summum euexit, in qua re antiquiores magnam industriae laudem habent, ita pulsus inaequales magna cura et sollicitudine digessit deque causis eosdem facientibus pro temporum suorum more eleganter commendatus est, quare ad eiusdem mentem non ignobile istud argumentum exsequi animus est.

§. II.

Pulsus inaequalis descriptio.

Est autem Pulsus inaequalis actio cordis et arteriarum impedita per causas, quae sanguinis quietem inducunt, vitae vim labilem indicans et actionibus, quae hanc faciunt perniciofa. Experimur hunc arteriae motum dum, pulsus, ^{c)}
qualis

a) Isbrandus de Diemberbroeck Oper. omn. Ultrai. 1684. Fol. Tract. de Peste, notat Peste tactis pulsus sanorum fuisse fere similes, fallaces tamen et periculosos. Idem notat Hieronymus Montuus Pract. Part. II. Lib VII. c. I.

b) Mira Galeni fuit sagacitas et animi solertia ex multis diuersisque circumstantiis aliquid prompte colligendi, adeo, ut ea, quae peritia et sagacitate praestabat, diuinatione quadam aut etiam praestigiatura praestare videretur. Conr. Gesn. in vita Galeni praemissa Op. Edit. Basil. 1562 Fol.

c) Quamuis pulsuum arteriarum in scriptis antiquorum legamus, et curiosius quidem illi, quam recentiores omnes circa hoc argumentum versati sint, tamen veram pulsus cognitionem haud habuerunt, Galenus
diastolen

qualis plurimorum est, sanè rhythmos pro regula mente habentes, numerando saltus, seriem integram nec interruptam seruare haud possumus, sed intelligimus ex dato aliquo definito vibrationum numero deficere vnam vel plures; vt, si pentadem, decadem aequalium habueris, vna vel altera desit postea, quae pollicem haud succutiat subsultatio. Dantur adeoque istius impeditae humorum proiectionis infinitae fere diuersitates, quas singulis nominibus compellare, sicut in vniuersa sphygmologia ita et in hac eius parte, arduum est, et ab vtilitate remotum. Sufficere enim videtur accurate determinasse emanentium pulsum, in definita aliqua eorundem serie, quantitatem, vt scias tecumque reputes, numeratis quadraginta aequalibus, vnum fuisse, qui defecerit, id est, hoc temporis spatio semel quieuisse sanguinem in cordis ventriculis, vel numeratis totidem, ellipses extitisse plures, vel, quod pessimi moris est, numeratis paucioribus recte distantibus, plures errasse, imo vero, quod agonizantium est, confusas esse subsultationes arteriarum, ex pluribus superesse paucas, quae respondeant. Inde nemo est, quin statim ad cognoscendam, qualis tunc est, cordis, sanguinis aut ipsius arteriae conditionem, ad causae morbificae reluctantis virtutem et possibilem istas resistentias superandi facultatem, concludere possit; sponte enim apparet, quietis in sanguine modulus esse eosdem, qui sunt pulsum plurium vel pauciorum male ordinatorum in determinata aliqua serie.

A 3

§. III.

diastolen cordis et arteriarum fugere et attrahere sanguinem constanter dicit, et illa tractio eidem pulsus est: Erasistratus veritati fuit proximus, qui successiue a corde ad partes sanguinem moueri dixerat, Aristotelis descensum habet leuioris adscensum grauioris sanguinis. Collegit antiquorum sententias de motu sanguinis Hermannus Conringius, de sanguinis generatione et motu naturali. Helmst. 1643. 4 Cap. XLI. Primus ex omnibus Haruaeus pulsum proiectione cordis in arterias recte descripsit, quam nouis experimentis nuper auxit Ios. Weitbrecht Act. Petrop. T. VI.

Diuisionis fundamentum.

Sicut autem pulsus inaequales a se inuicem magnopere discrepare in aprico positum est, ita differentiarum modi plures, quam quot sunt pulsuum naturalium causae, esse nequeunt. Pulsus esse systolen cordis et diastolen arteriae nemo ignorat, quare et id certum est, vibrationem expansae arteriae componi ad virtutem cordis et sanguinis ipsius motum intrinsecum. Hinc necesse est, pulsus inaequaliter commoto, causam phaenomeni constituere, *partim* in cordis ipsius actione per obstantes, mobiles tamen causas, impedita; *partim* in sanguinis reluctantis pondere specifico et concatenata cohaesione aut punctorum contactus, quae singulis moleculis intercedunt, propinquitate, *partim* in arteriae ipsius labe, ^{d)} quae ita quidem a statu suo naturali deflexerit, ut aliquando eius extremitates sanguine quiescente et grumoso obstruantur, hinc transitus sanguinis ex ultimis arteriis minutis in primas venas eiusdem mensurae celebrari nequeat, quare necessario vniuersam sanguinis columnam a minimis ad exortum caudicis arteriae ipsumque ventriculum sinistrum, subsistere tamdiu oporteat, donec in collaterales et liberas a grumo venas sanguis diffluerit; Alio autem tempore inuita et violenta quaedam contractio generis arteriosi, dependens a liquido nerueo fortiter et diu in vicinas arterias influente, in causa est quominus a cordis systole eleuari
arteria,

d) Triplicem pulsus causam euincit Thomas Barthol. L. II. de Arteriis Lugd. 1677. 8uo. p. 948. Motus hic arteriarum pulsus dictus, fit aut facultate sola, siue ipsis arteriis-insita, ut Praxagoras voluit, siue a corde per tunicas arteriarum influente, aut ex sanguine eoque vel ebulliente, ut Aristoteli visum, vel rarefacto, ut Cartesianis, vel extendente, ut Harueio.

arteria, id est, pulsare queat, ^e) hinc fibrae circulares, quae spasmus experiuntur, superant actione sua sanguinem subeuntem, strangulant arteriam, tandemque relaxatae, pulsus restituunt, id quod, brevissimis temporum moris cum fiat, vibrationum momentaneas efficere solet inconstantias. Praeterea, sicut omnes muscoli caui, quorsum arteriam referre nihil impedit, ita etiam salientia corporis vasa immobilitate opprimuntur flaccida, ^f) ab impedito spirituum influxu in villos vibrarum motricium, vel cruoris arteriosi in arteriarum arterias, neminem enim fore arbitror, quin sciat, singulas arterias, vel ex se ipsis, vel ex vicinis arteriis, vasa habere quamplurima, pro nutritione et actionis impetu: Quapropter haud infrequenter, elata per systolen cordis arteria, ob reagendi impotentiam non contrahitur, hinc duo pluresque cordis pulsus arteriam nihil mutant, quae conticescens parum, deinde languide admodum contracta, pulsus facit intermittentem. Accedit, quod unius alteriusue arteriae substantiam immutatam pulsus instabiles efficere oporteat, vel quod ambientes variae causae expansioni arteriarum sese opponant nec eleuari easdem patiantur commode, quapropter per vices, quasi quiete vires habiturae, conticescant.

§. IV.

Divisio pulsuum inaequalium iuxta causas.

Hisce praesuppositis, pulsuum inaequalium totidem erunt differentiae, quot causarum diuersitates, quae cordis, sanguinis

e) Probat id neruorum directiones, nerui enim vel arterias vaginae in modum ambiunt, prout in arteriis, quae coeliacae sunt propagines, et Mesaraicis, vel iisdem presse accumbunt, ita quidem, vt commoto neruo arteriam strangulari oporteat. Winslov. Traité des arteres.

f) Paralyin arteriarum possibilem docent neruorum et arteriarum mira consensio, quam frustra destruere annititur Martinus Listerus, dissertatione de Humoribus Cap. LIV. Amstel. 1711. 8uo.

fanguinis aut arteriarum motum instabilem fluctuantem aut quocunque demum modo vacillantem efficere possunt. Enumerabimus, quantas experientia comperimus, eorundem species. Singularem in modum turbatur arteriarum vibratio, corde ipso titubante et aequales in projectione sanguinis rhythmos haud seruante, vnde arteriarum idem est, qui cordis tremor: ^g) Equidem fuere, qui, de nullo tunc morbo conquesti, pulsum tamen arteriae anomalum haberent, deprehensi tamen et illi fuerunt vel pulmonis ulcere vel obstructione aliqua visceris occulta laborasse. Foeminis, quo tempore menses imminet, aliis ira vel terrore commotis, caeteroquin sanis, pulsus errare fuit, quapropter, penes omnes, pulsum instabilem morbi semper signum esse, nisi diuersum, quid de ista re sentiant in arte magis versati, audacter affirmauerim. Aliter se res habet in bestiis, quibus cordis pulsus etiam secundum naturam est titubans et incertus, id quod partim horizontali, quem seruauit incedendo, directioni, partim isti conditioni tribuendum est, qua pericardium humanum circulo tendineo diaphragmatis firmiter innascitur, vnde singulare cordis ad constantiam motus fulcimentum est, secus ac in bestiis. Cor adeoque humanum aequalem systoles a diastole distantiam et perisystolen seu moram temporis, quae prioribus interest, eiusdem durationis constanter non habet, quoties *vel* per consensum cum vicino viscere in quo spasmus grassatur, titubat, id quod in affectu habemus hypochondriaco, *vel* idiopathice affligitur, a sero pericardii acriore, a polypo, ventriculis vel vasis etiam maioribus innascente, a sanguinis copia plethoricorum, hinc a propria etiam

^g) Dōtente Anatomia, qua constat aortam esse tendinis in basi cordis ex fibris muscularibus orti continuationem, quam Richard Louverus Tract. de Corde Lugd. Bat. 1728. radicem aortae appellat p. 59.

etiam sui vacuitate, sicut nouimus effuso variis haemorrhagiis sanguine ob *κενσαγγείαν*, dum ventriculi ad omnimodam, prout decet, plenitudinem haud farciuntur, pulsus aegrorum esse instabiles. ^{h)} Tandem etiam obseruatum est, prae thoracis conformatione laborantibus, ob situm cordis hac vel illa ratione immutatum, cor subsultasse praeter regulam. Alia omnino res est, cum pulsibus, qui sanguinis ipsius vitio mutantur, quamuis enim et illi ad cor tandem redeant, sine cuius tremore pulsus inconstantia coniici nequit, attamen ad electum medicamentorum instituentium, iuuat, pulsus inaequales a sanguinis intemperie, vel motu per capillaria vascula impedito factos, probe segregare a reliquis: Quapropter ignotum esse nemini potest, sanguinem putridis moleculis, quas exanthemata vocamus, fardum, eundem, pituita viscida irretitum, vel bile effusa contaminatum passim subsistere, difficulter moueri, et efficere, ne cordis et arteriarum motus respondeant, hinc febre maligna correptorum, dum exanthemata imminet, ictericorum ⁱ⁾ etiam et hydropicorum, tandem omnium inflammatorum et obstructione alicuius visceris laborantium pulsus inaequales deprehendimus. Tandem etiam arteriae vel simul totius corporis omnes, vel ex omnibus vna, causae esse possunt, quo vel vna saltim corporis pars, vel omnes pulsuum inaequalitate notentur. Dum pulsuum inaequalem in aliqua parte tantum esse posse innuo, nihil, quod a veritate procul absit enarro, compertum enim est,

B

teriam

- h) A mutato circulari sanguinis motu mille in animalium oeconomia insurgunt subuersiones, quas ab inassueto istius motu dependere, ostendunt mutatae arteriarum pulsationes, Iac. de Sandris de naturali et praeternaturali sanguinis statu, Francof. M 1712. 8uo p. 162.
- i) Notauit id iam suo tempore Aretaeus cappadox, qui de morbo acuto venae portarum agens, *σφουγγὲς μικρὰς πυκνοτάτας ὁκοῖοντι πεπιεσμένους καὶ δλωγμένους* notat. Edit. Wigand Fol. de signis et causis morborum acutorum, L. II. C. 7.

teriam, in qua aneurisma est, siue verum illud fuerit, siue spurium, reliquis totius corporis omnibus arteriis in motu constantibus, solam turbari, et pulsus infra tumorem obseruari instabiles. Tunc vero omnes arteriae totius corporis celeritatis mensura excidunt, quando vel conuulsiui morbi in genus neruofum grassantur, vel tonus earundem in affectibus paralyticis euertitur.

§. V.

*De pulsum inaequalium rhytmis et compellationibus,
speciatim de variante.*

Loquatur, postquam haec ita praefati sumus, Galenus, qui nobis huius potissimum argumenti opportunitatem fecit, a quo non nomina tantum, quibus antiquitas pulsus instabiles compellauit, sed et luculentas rerum declarationes habituri sumus. ^{k)} Variantem ante omnia pulsum ab inaequali segregat, utpote, qui aliquam satis amplam pulsum consecutiuiorum seriem magnam, aliam pulsum seriem paruum, aliam celerem, aliam lentam habet, distantia tamen vnus pulsus ab altero semper aequali. Talem habent pulsum, qui inter spem metumque mediū versantur, vel qui audacter magnum moliuntur facinus, ut metus celeres fiducia lentos arteriarum motus vicissim concitet. Talem pulsum habent febres lentae hecticae, quibus intra horam pluries mutatur, pro celeritatis gradu, arteria, aequali tamen omnium mensura. Huic pulsui breuiiores quandoque eueniunt mutationes: Explorabis aegros, quibus ex quadraginta, aut pluribus pulsibus alia series erit celerum, alia lentorum, dicesque anteaquam pollicem dimoueris, pulsum equidem aequalem esse, sed tamen variare. Variantis pulsus
singulares

k) De causis pulsum, L. II, Cap. III. sqq.

singulares species variis eleganter describit Galenus nominibus, quae rem haud obscure indicant: Decurtatos appellat pulsus, illos, qui saltim sub digito tangentis deficiunt, seu quibus oneri est applicatus digitus, quos summae debilitatis signum esse oportet; nec infrequens illud est maxime penes hystericas phaenomenon, quo, quem tactu ad radium manus explorare non possis pulsus, explorandum habeas in maioris exempli arteria carotide scilicet, temporali, vel illo radiadae ramo, qui pollicem ambit. Hos decurtatos Galenus¹⁾ diuidit in reciprocos, qui durante medici contactu redeunt, iterumque euanescent, et permanentes. Proximi his sunt pulsus *intermittentes*, qui cum substituisse videantur, paulo post redeunt, ita, ut inter vnam alteramque seriem aequalium caeteroquin pulsuum deficient *motus pauciores*. Ast maior est intermissio ea, quae pulsus facit *intercurrentes*, ut, cum sexagesima horae parte vna, pulsus nullum perceperis, altera restituatur motus duretque donec denuo intercidat: Est et ille pulsus suo modo varians, qui in diuerso arteriae loco varius est, ut si radiada non pulsset, pulsset tamen illius truncus primarius, brachialis: sic moribundis superest circa truncos maiores, quae iam in extremis defecit, arteriarum vibratio; quibus vulnere magno arteria abscissa est, vel quibus ablatum fuit aneurisma, illis quidem, arteriis licet a sanguine haud vacuis, id quod collateralium arteriarum anastomosi debetur, infra vulnus pulsus nullus superest, hanc conditionem Galenus, si recte eundem intelligo, deficientem appellat pulsus, nec tamen aboletum: Quod tandem plenam ἀσψυξίαν et pulsus defectum attinet, num ea, vita superstita, existat, meum nunc non facio.

B 2

§. VI.

1) Taxat Galenum, quod in disquirendis pulsuum differentiis fuerit prolixior David Graebnerus *Medicina vetus restituta* Lips. 1690. 4to, p. 154.

§. VI.

De pulsibus inaequalibus, quas quies diuidit.

Gal. c. IV.

Differunt inaequales pulsus a variantibus, quod singuli inter se computati moras temporum habeant dissimiles, dum longus aliquis, alter latus, elatus breuis, humilis, quidam, omnes inordinati explorantis medici manum subeant. Hos inter se duratione discrepantes, *arteriae aliqua quies* interfecat, non longa, sed vnus aut alterius pulsus moram habens, quandoquidem, si longior mora est inter pulsuum series, intermittens fit, aut intercurrens. Accuratissimus Galenus pulsus istius interquiescentis metra allegat varia. Aliquando pulsus ante quietem celer est, post quietem tardus, aliquando motus quiete interpellatus vtrinque celer est, alio tempore moderatus decurrit ante et post quietem pulsus, qui quandoque ante quietem vagus, post quietem ordinatus tandem etiam vtrinque vacillans fluctuat; Omnes equidem ex istis turbulentum cordis sanguinis et arteriarum statum indicant. Commodissimum tamen ex illis pronuntiat Galenus, cuius vterque motus est magnus, celer, vehemens ac quietis breue tempus, vtpote, qui facultatem cordis vegetam et resistentiis ab humore rebeli factis superiorem indicet. Quo longior autem distentionem arteriarum interpellans mora fuerit, eo debiliores cordis aut arteriarum virtutes, superiores autem sanguinis circa extrema concreciones esse indicantur, sicut dispari celeritate decurrentes omnes pulsuum rhythmum, in decliui versari aegrum subinnuunt. Ex ista celeritatis cum tarditate permutatione, quietis inter varii metri pulsus interpolatione, singuli etiam pulsus in se spectati impetu, praeter superius allegata etiam alia pulsuum nomina obtinuerunt: Adducet Galenus, vibratores, caprizantes, vndosos, vermiculosos, innuentes et circumnuentes, tandemque

tandemque conuulsiuos, de quibus singulis quaedam addenda sunt: Vibrare dicuntur pulsus, qui singuli sub pollice tangentis chordae tensae ad instar tremunt, vt in vno plura diuisa tempora persentiscas. Dicrotos autem pulsus ille est, qui, cum vnus sit, repercursus subsilit bis pollicem feriens. Hunc inflammatis scirrhoue tumidis assignat Galenus, nec plurimum a caprizante diuersum pronunciat, vtpote, qui itidem bis pulset, quiete interpellatus. Pessimus sine dubio omnium, nec nisi agonizantibus familiaris est serpens, qui interquiescens arteriam magna cum mora eleuat, quo tempore sanguis corde non tam proiicitur, quam fluit lentus tandemque in minimis prorsus subsistit: Huius subreptitii pulsus modum habemus duplicem, cum paruitate *vermicularem* cum magnitudine *undosum*. Vermicularis quidem arteriam parum eleuat et tempora cum incertitudine metitur longa, undosus autem salientia vasa distendit plurimum, nec subsidere prorsus permittit arteriam, sed eandem fere contractam expandit, denuo et undarum fluctuantium more fertur, hinc ob sanguinis motum aliquem vegetum, priore, cui omnia prostrata et imbecillia eueniunt, habetur praestantior. Conuulsiuus denique pulsus metro ex omnibus mixto, quasi turbine aliquo delatus fertur, confusa habet temporum momenta, cum quiete magnus, paruus, celer et lentus, quandoque intermittens et vno verbo inordinatus decurrit, nec a forma tantum, quam seruat sua, sed a morbo etiam, quem designat, ita compellatur, vtpote, qui epilepsia abreptis et conuulsiuo vario motu exagitatis, familiaris esse soleat.

§. VII.

De pulsus inaequalis causis.

Scire autem refert, vnde sit, quod grauiorum morborum signa diagnostica aut prognostica habeantur ex pulsu

inaequali, et quid demum diuersos istos motus et tremores arteriae inducat. Negandum non est, multa, quae istam theoriam concernunt, altis premi tenebris et superesse dubium, num cordis actio interrupta per arterias, prout in caudice aortae exorsa est, continuetur ad extrema, num vero, quod iam exemplis euictum est, proprius aliquis arteriarum motus, cum motu cordis achronos, fibrarum suarum minimarum idiopathia vel sympathya cum tremoribus in genere neruoso obortis fuscitetur, vel denique sanguis vario modo expansus, et in se collapsus in grumulos conuascens et proinde immobilis, tunc minimae diuisionis impotens et cordi parum obsequiosus, postea in minimis subsistens, arteriam ad istas, quas diximus, diametri mutationes tantopere inter se discrepantes componat, an denique haec omnia concurrant inter se. Nam medicinam facturo et remedium resistentiae auferendae haud impar inuenturo, commodum est scire, quorsum animi aciem dirigere debeat. Galenum, ut horum omnium rationem redderet, ad facultatem, quae virtus et cordis, et humorum intemperiem, vasorum plenitudinem, viscerum obstructions et neruosi generis labem, in definienda pulsus inaequalis ratione respexisse, sicut luculentum, ita mirum est, hominem peritia anatomica pleniore destitutum, rem acu tetigisse. Luculenta potissimum sunt ea, quae de neruorum in arterias et cor effectu ad pulsum conuulsium producendum allegat, dum non tantum plexus cardiaci non admodum obscure mentionem iniicit, sed etiam perpetuum illud, quod neruis et arteriis intercedit coniugium, eleganter describit. *Ad haec cum singulis arteriis fibrae a neruis deductae ad societatem cohaerent, per quas se sinunt mutuo in consensum venire, non modo actionum, sed effectuum etiam. Nec iam quidquam habet admirationis, si, cum uniuersum genus neruosum coniunctum cum*
arteriis

arteriis sit, singulique eorum ramuli sibi mutuo admisti principiaque inter se coniuncta sint, communis appareat effectus. Conspirat eleganter rerum experientia, quae docet in omni spasmodorum et convulsionum genere, pro istorum affectuum gradu plus vel minus errare cordis et arteriarum pulsus, vndeunque demum iste neruorum et abinde dependens muscoli cordis tremor prouenerit, id quod vberius infra exponendum superest: Altera pulsuum inaequalium causa, Galeno in humorum copia constituitur, quam superare facultas ^{m)} cordis et arteriarum nequeat. Rem simili politissime declarant: *Ob oculos ponamus duos homines, qui incedunt pedetentim, sit alter robustissimus simul et florentissima aetate, verum pondus portet grauissimum. Alter prorsus nihil baiulet, praeterea sit imbecillis ex morbo aut senectute, iam nec multum progredientur hi nec celeriter, itaque nihil different in actione, sed in eo different, quod aequis plerumque passibus procedat aegrotus, diuersis valens ac inaequalibus, et alias aliis. Nam ille, ne si contendat quidem, poterit vnquam vel magnam vel celerem actionem obire; Robustus etiam fere perinde, interim tamen maiore alacritate celerius aliquantisper et magis ager, deinde ab onere pressus ad primam tarditatem et actionis paruitatem redibit. Idem usu venit arteriarum actioni.* Res eo redit, viribus prostratos habere pulsus paruum debilem inaequalem plenus sanguine, magnum interquiescentem, id quod observationibus clinicis apprime respondet, ⁿ⁾ non enim tantum illi, quibus a plethora

m) Quid sit facultas, *δύναμις*, potentia, docet Gorrhaeus *defin. med.* p. 82. seq.

n) Medicinam Sphygmica eleganter instruxit et terminos rite explicauit. Io. Antonidas von der Linden *Medullae medicinae Libr. IV. Franckeriae 1642. 12mo Part. II. p. 290.*

thora cor palpitat, sed et haemorrhoidum anomalia suppressi, vel quibus haemoptysis imminet, aut menstrua restagnant, pulsus magnum et inaequalem, metro tamen non satis definiendo, medico obtulisse deprehensi fuerunt: De proiectione etiam sanguinis, quae a corde ad extrema quandoque haud sufficiat, vnde sit pulsus deficiens, eruditam quaestionem mouet, nunc etiam in scholis medicorum controuersam, num *contentio*, id est pulsus arteriarum totius corporis, sit synchronos, vtrum vero propiores cordi arteriae primum et paulatim exurgant earundem extrema, *quod quidem Erasistratus perpetuum esse autumat*. Hanc disputationem nuper eruditissimi medici °) Petropolitani agitarunt, nec obscure docuerunt, sanguinem ventriculi cordis sinistri volumine suo, quod in vna proiectione est, non sufficere, pro omnibus totius corporis humani arteriis ad plenitudinem, prout decet, farciendis, quapropter autumant, primum pulsus supplere truncos arteriarum primitiuos, alterum deriuatiuos, reliquos tandem sanguinem ad extrema propellere, id quod tamen Galeno saltim in statu praeternaturali, ita fieri visum est, *praeter naturam* ait, *partes cordi viciniores mouentur prius, deinde longinquiores*. Interea certum est, a virtute cordis imminuta, qua fit, vt sanguis vno impetu ad extrema peruenire haud valeat, dependere pulsus intermittentem, myurum et vermicularem. Quod autem illum concernit pulsus, cuius quaedam temporum morae interquiescunt, a cordis quadam systole inter plures emanente, deriuandus ille est procul dubio, id quod ex theoria cordis clarum esse arbitror, qua nouimus, ex causis, quae systolen faciunt, primariam esse influxum spirituum, qui in diastole, putata paralysis fibrarum cordis naturalis, impeditur ideo, quod plexus cardiacus duabus arteriis, pulmonali

°) Ioh. Weitbrech. Act. Petropolit. Tom. VI. 1. c.

nali et aorta, compressus, necessario in diastole harum artiarum flaccescat, quare resolutionem muscoli cordis subsequi cum expansione oporteat, hinc influente violenter spiritu, quae ratio est omnium spasmodorum, durabit systole cordis diu, rigida insimul manente arteria cum pulsus vnus alteriusue iactura. Ex altera parte clarum est, non proici sanguinem, nisi, qui ex auriculis cordis accessit, quare si valvulae ^P) auriculis oppositae spasmo contractae sanguinem subire haud patiantur, vacui ventriculi, quod proiciant, non habent, nec contrahuntur, id quod polypo auriculam vnā alternamue opplente, euenire itidem solet. Tandem humor rebellis peregrina sanguinis materia, ipse sanguis grumofus, resistent lateribus contrahendis in corde, eademque septo, accedere non permittent propediem, vnde systoles alicuius ellipsis est cum pulsu semel aut pluries conticescente.

§. VIII.

De pulsu inaequali vt signo.

Ex istis omnibus, quid vnus alterue ex descriptis pulsibus anomalis portendere possit, facile apparebit. Sicut enim pulsus aequalis, quocunque demum modo discrepans, durus, magnus, paruus, debilis, rarus, plenus, vacuus, et ex plurimis Galeni, alius, vitae constantiam aliquam significat, ita in genere, qui inaequalis, mali nomen suo iure habet penes Boerhauium omnesque artis suae gnaros. Quid autem a quolibet significetur, exponendum erit breuissimis. Magnus et tardus interquiescens, qualis est pleuriticorum,
C pulmone

p) Valuulas cordis, qua ratione ad pulsum faciant, describit Renatus des Cartes Tractat. de homine et de formatione foetus, Amstel. 1678. 4to Part. I. p. 11.

pulmone inflammatorum, qualis est ante eruptionem exanthematum, variolarum, purpurae, erysipelatis, ipso suo lentore commendabilis est, et cordis impetum resistentiae superiorem manifeste prodit. Paruus autem celer et *intermittens* aut *emanens* ^{P)} vel *interquiescens*, quo diuturnior et frequentior intermedia pulsibus quies fuerit, eo peiora etiam subindicat, ideo, quod non tam in minimis arteriis, quam truncis vasorum maioribus, potissimum circa cor inque eius cauis, sanguis subsistat, cuius parua saltim moles per auriculas ventriculis ingeratur, quare cor in contractione debeat possitque esse frequentius. Continui motus pulsuum dispari celeritate, quos variantes appellamus, multis febribus, morbis etiam a secretionem quadam impedita ortis, sunt frequentes, nec tam quietem sanguinis indicant, quam eius motum intrinsecum per intervalla auctum, a salium conflictu vel inaequali spirituum in cor influxu, vnde prognoses, si quae exinde formantur, mitiores esse consueverunt; quodsi autem mutatio celeritatum paruo spatio saepius accidat, nec tunc quidem secunda esse omnia promitti possunt, quandoquidem conuulsuum aegri statum fore, hoc ipso innuitur, maxime si breues, perbreues, longae, decurtatae aliaeque temporum morae admisceri incipiant. Pulsus reliquos omnes a metro aequalitatis aberrantes, quemcunque demum rhythmum obtinuerint, perniciosos, vno ore pronunciamus, quorum mores breuiter explicat Boerhauus. ^{Q)} *Debilis, paruus, durus, inaequalis, intermittens, frequens simul est pessimus omnium atque eo quidem peior, quo plures tales notae concurrunt simul et contra.*

§. IX.

P) *Ἐκλύποντας* appellat Aretaeus, Libr. cit. *περὶ πνευμονίας.*

Q) *Inst. Med. §. 966.*

§. IX.

De pulsu inaequali febrium acutarum.

Sicut ad lectum aegri aliter quam in scholis loquimur, nec tam peroramus causam aegrorum, quam facimus, ita parum interest, infinitas fere pulsuum, tum aliorum, tum inaequalium differentias, iuxta varios celeritatis gradus numerasse, sufficiunt enim ex pluribus pauciorum diagnoses. Febrium malignarum pulsus haud raro sunt inaequales, et pro diuersa morbi aetate varium euentum indicant. Periculosum est, ante eruptionem variare, periculosius errare, aut intermittere pulsus, interea signum illud pathognomonicum non tam lethalitatem, quam exanthematum copiam praenuntiat. In variolis haud infrequens est, pulsus minus constare, quod si factum fuerit, variolas confluentes plerumque habuimus, quamuis nec distinctae semper liberum cordis motum superesse sinant, quin illud fluctuet, ^r) magnisque pectoris oppressionibus aegrum fatiget; quodsi autem reliqua mitius iuerint symptomata, mens constiterit, aluus non fluxerit, non subsultauerint tendines, nec ista quidem pulsus inconstantia turbati admodum fuimus, utpote, quae exanthematum indiuiduus comes esse soleat, raro enim inuenias, quibus inter plures numeratos, semel arteria non conticescat. Idem iudicium esto de morbillis, qui quoad symptomata acrius ipsis variolis defauiunt haud raro. Purpuram albam, ^s) si sit morbus primarius, nec visceri cui-

C 2

dam

r) Conf. Ioannis Francisci Lovv. Tract. de variolis et morbillis, Norimb. 1699. 4to p. 80.

s) Nouus ille nostris terris visus morbus, nunc plures abripit, cuius indolem cum puerperas primum inuaderet, descripsit Gottfr. Welschius Historia medica nouum istum puerperarum morbum continente, qui ipsis *der Friesel* dicitur, L. 655. 4to. Ante eundem tamen descriptus est

dam inflammato aut in pus verso accidat, molliter decurrere obseruamus, pulsum tamen inaequalem, anteaquam erumpat, raro desideramus, nec, quod metuamus, superest, si post eruptionem aequale metrum seruauerit. Petechias veras ad manus fuisse non glorior, quodsi autem catarrhales febres malignas petechizantes, quibus pulsus esse solet admodum inordinatus, mecum reputo, facile praeuideo, quales tragoedias lufurae sint maculae cutis omnium maxime pestiferae. Mirum est, peste correptis pulsum plerumque sanis esse similem, cum, tamen non admodum atroci malo, erysipelate correpti, pulsum magnopere perturbatum numerent. Sicut autem ante eruptionem horum omnium, titubante etiam pulsu spes superest, ita, postquam effloruerunt fordes cutaneae, si tamen arteria eadem celeritate haud subsiliat, praesentaneum subest periculum, multo magis, postquam illa omnia in fugam conuersa fuerunt. Pulsum autem serpere, emanere, caprizare, dicrotum esse, tam ferale est, vt paucos euasisse sciam, nisi virtus cordis herculea illis suppetat. Singulare est, exanthemata cutis pure turgida, dum eleuantur in pustulas, noua accensa febre exacerbari, id quod decimo quarto die accidit, quo tempore pulsus denuo nouis implicatur erroribus non sine periculo. Quodsi rationem redditurus sit aliquis, qua fiat, quo febres exanthematibus iudicandae motum cordis aequalem turbent, aliam inuenturus haud est, quam quae in cutis inflammatione quaeritur, vtpote, qua id effectum est, quo suppressa maximam partem transpiratione sanctoriana et sanguine in vasis cutaneis quiescente et intercepto eius ad minimas venas transitu, partim artiarum maiorum trunci sanguinis, quam decet plus, partim
venae

est morbus a Ioh. Coytraro, de Febre purpura epidemiali et contagiosa,
L. II. Paris. 578. 4to.

venae maiores, sanguinis, quam decet, minus capiant, unde ablato affluxus atque refluxus aequilibrio, cordis ventriculos aequali mensura contrahi, a legibus hydraulicis longius abest.

§. X.

De pulsu inaequali in febris inflammatoriis.

Sanguinem in vasis capillaribus quiescentem, pulsus inaequalis causam esse, sicut dictum est, ita nunc, qua ratione status partium inflammatorius inaequalem sanguinis venosi reditum ad cor, adeoque et pulsum inaequalem efficere possit, exponendum est. Inflammari partes, postquam sanguis alicubi substitit in vasis capillaribus, necesse est. Est enim calor effectus sanguinis in vase elastico pressi, ob resistentias magnas circa fines vasorum, unde necessum fit, vniuersam sanguinis arteriosi massam vi cordis adaptam versus extrema vrgeri efficacius, quem naturae instinctum, tanquam necessariam causarum sequelam, discussionem, resolutionem, appellare solemus. His ita sese habentibus, quo pertinacior erit vasorum minimorum infarctus maiorque resistentia, eo magis versus cor sinistrum per ramos aortae erit renisus, unde quae, liberis extremis, aequaliter scaturiunt cordis guttae, nunc subsistunt et aliqua ex multis mora temporis silent; hinc varians pulsus paruarum, inaequalis magnarum, emanens, intermittens, maximarum et lethiferarum inflammationum comes et signum esse solet. Nec tamen simpliciter inaequales penes inflammatos habemus pulsus, sed cum magnitudine et duritie inaequales, cum febrilis status talem postulet, id quod, quamdiu ita sese habet, spe medicum cadere haud permittit, aut inflammatis cum inaequalitate celeres et paruos esse pulsus, sicut morbum in deterius vergentem indicat, ita speciatim, maxime

si dolor factus fuerit remissior, id notat, inflammatas partes in pus mutatas sphacelo iam esse proprio. In pulmone inflammato iam suo tempore pulsus inaequales annotavit Aretaeus, ^t) nec moderna abnuit experientia, dum pulsu inaequali medicum doceri obseruamus, qui vomitum inflammatum et in pus vergentem habeant; Nec fieri id aliter posse, per rationes ex anatome depromptas, cognoscimus, qua nouimus, sanguinem breuiori circuitu a dextro corde per arteriam pulmonalem ad pulmones ire, per venam pulmonalem ex pulmonibus ad cor sinistrum redire, quare si notabilis quaedam lobi alicuius pars reluctata ob scirrhum vel vlcus fuerit, illud sane abinde consequitur, quo partim ad dextrum cor restagnet sanguis, partim quaedam sanguinis pars, totius aestimata tanta, quanta pars pulmonis obstructa est, ad cor sinistrum deficiat, vnde ob inaequalitatem affluxus et refluxus, ventriculos anomalo motu corripit, necesse est. Pleuritide inflammata, quamuis maximus sit aestus, delirium atrox, summa virium prostratio, raro tamen interquiescentem haberi pulsum annotamus, ^u) qui si fuerit, iam conclamatum rem esse indicat, est varians est saepius, plerumque magnus, durus. Anatome rem declarat, tantus enim per intercostales arterias ex trunco aortae immediate ortas, ad cor renisus esse nequit ob egressum earum horizontalem, quantus per arteriam pulmonalem in pneumonia extitit: Capite inflammatis cor inaequaliter moueri

t) De causis et signis morborum acutorum, Libr. II. *περὶ πνευμονίας.*
Conf. Pauli Henr. Gerard, Moehringii Histor. Medicin. Amst. 1739. 8uo
Obs. XXXII. p. 282.

u) Eruditissimus vir Daniel Wilhelmus Triller, in succincta commentatione de pleuritide eiusque curatione, Francof. M. 1740. 8. fluctuantem obseruauit pulsum, p. 156. vtpurimum tamen validum, et aequalem.

uèri facile praeuidemus, tum in tumoribus glandularum colli, faucium, saliuarium, inflammatoriis, tum in cerebri ipsius affectibus; hinc vulnera capitis profunda, quae duram matrem vel cerebrum tangunt, partim ob inaequalem itum reditumque sanguinis per carotides venamque iugularem internam, partim ob neruorum tremores, cordis anomalas contractiones suscitant. Qui nuper omnium in se animos conuertit tragicus vulneris capite sclopeto facti casus, praeter alia rariora, pulsum dedit, quotiescunque exploratus fuit, variantem, cum diuersa celeritate magnum. Intestina inflammata, siue quod effusa bilis colicam inflammatoriam concitauerit, siue quod in Causo, sanguis tandem quieuerit in extremis eorundem vasis, siue quod venena et remedia drastica tunicam villosam destruxerint, quod nuper fuit in exemplo, siue quod hernia sit incarcerata, pulsum habent, non tantum inaequalem, sed aliquando interquiescentem, id quod obscurum esse non arbitror illis, qui secum reputant, quanta sint et cuius mensurae vasa mesaraica vtriusque generis. Vteri inflammationes a partu difficili ortae, postquam secundina adhaerens reuulsa, cruentas fecit vteri parietes, aliaeque, quae pluribus in arte obstetricia notissimis casibus eueniunt, quos nunc enarrare nihil refert, partim ob vasorum sanguiferorum numerum, partim ob sensum visceris exquisitum, pulsum inaequalem suscitant plerumque, tolerandum si magnus fuerit, magnopere suspectum, si paruum, vtpote, qui purpurae superuenientis certissimus solet esse nuncius.

§. XI.

De pulsu inaequali, viscerum obstructorum.

Postquam ergo per leges hydraulicas absolutae necessitatis est, magnas resistentias in vasis minimis, stagnante ad
COR

cor per arterias sanguine, cordis motum praestare anomalum, quare in magnis viscerum obstructionibus arteriarum pulsus obseruetur inaequalis, quilibet, me etiam tacente, intelligit; eadem, horum affectuum, quae inflammatis, ratio cordis motum sufflaminandi. Ictericis pulsus valde esse errabundum, experientia loquitur, maxime illis, quibus flauus color vergit in nigrum, abdominis, maxime autem hypochondrii dextri tumor est, epigastrii inflatio, dolor colicus et alius suppressa, tunc enim, prae dolore spasmisque intestinorum abinde nascentibus, maxime autem ideo, quod vasorum in hepate obuientium extrema ^{x)} scirrhus et bile resinosa, lapillis etiam et tophacea materia, imo etiam tumore aliquo tunicato grandiore oppressa sint, pulsus non tantum errabundus habetur vario typo, plerumque magno pleno et interquiescente, sed et palpitatione cordis ingruit eodem, quo pulsus rhythmico incedens, nec aliud viscus, ob admirabilem vasorum syndromen, nodis tophisque magis subiacet. Latitant quandoque morborum chronicorum causae et alta nocte premuntur. Certum tamen est Hecticas febres, quartanas diuturnioris morae, dolores hypochondriorum fixos, tumores contumaces, palpitationes cordis chronicas, quas multi ab aetate florente ad prouectiorem ferunt, a scirrhus quodam glandularum, forte pancreatis, lienis, glandularum mesenterii, prouenire; in cuius rei cognitionem nihil nos adducere poterit clarius pulsu inconstante, quem si multi, maxime senes ^{x)} naturalem habent, nec sine incommodo habent, nec sine causa, utpote quibus obstructionem alicuius visceris subesse oporteat. Affectuum hydropicorum mos est, pulsus habere admodum instabiles, siue in

x) Pulsus senum incitatioem sua natura esse docet Franciscus Baco de Verulamio Historia vitae et mortis, Amstel. 1663. 8uo p. 79.

in corporis habitu, siue in cauis effusa aqua fuerit, id quod tunc potissimum ita factum obseruamus, quando vrinae et sudoris fontes exaruerunt aegris; nihil enim magis cor opprimere potest transpiratione laesa, vtpote, qua sufflaminata, myriades arteriolarum tubulos obstructos habent, quapropter sanguis arteriosus vndas versus cor retrogradas accipit, ipsaque eius vasa, postquam, quod halitu corporis insensibili absumendum erat, remansit, immense turgescunt: Eadem res est cum vrinae suppressione contumaci, qua tacti, corde paulo post, quam isthaec corporis cloaca purgari desiit, palpitant, siue calculus vretes obstruxerit, siue abscessus vrinariis insit viis, siue per consensum ob herniam incarcerationam colicamue spasmodicam illae supprimantur. Magni certe momenti res est, superesse in sanguine impurissimos humores, quos par est non tantum progressuum, sed et intestinum cruoris motum euertere posse. Similiter euenit mensium aut lochiorum suppressione laborantibus foeminis, viris haemorrhoidum anomalia vexatis, vtrinque enim pulsus obseruauimus reluctantem incertum atque vagum, maxime quod haemorrhoidum fluxum attinet cohibitum, vtpote, qui vniuerso systemati venae portae et abhinc hepatis et lieni admodum inimicus est, quorum viscerum actiones hoc ipso haud parum turbantur, quo denique fit, vt inaequalis sit sanguinis per venas hepaticas ad cauam transitus, auriculae dextrae *σενοχωρικός* et ventriculus cordis sanguine, quam par est plenior, hinc pulsus haemorrhoidariorum hominum sunt pleni et cum magnitudine inaequales.

§. XII.

De pulsu inaequali conuulsivo et spastico.

A generis neruosi tremoribus frequentius cor et cum corde arteriae contremiscunt, quarum pulsus, prout dictum est,

ex omnibus rhythmis quidpiam habet, hinc interquiescit: y) Prouoco ad epilepticorum pulsus, qui nescio quid habent atrocis, quod mortem et non procul absentem arteriarum strangulatum minari videtur, adeo confusa eunt omnia. Multis ira animique commotio quaeuis cor succutit, aliis a metu et terrore arteria errat, vnde, quale sit animi in cor et vasa imperium cognosci potest facile, id quod exercet neruis administris; horum qui a pari octauis sunt, non tantum ad cor eunt, sed et ansae in modum, in sinistro latere aortam in dextro subclauiam sustinent et amplexantur: Peculiare quid habent spasmi intestinorum hypochondriaci, quibus, varia ex causa natis, diaphragma violentos motus concipit, cum respirationis difficultate per vices recurrente, nullo tamen pulmonum vitio. Sola flatulentia eiusmodi aegros in summam cordis angustiam palpitationem et pulsuum anomalam coniecere valet, vnde autem id fiat, quotusquisque est, qui non intelligat; non enim tantum, diaphragmate vberiore tonum habente, arteria magna a muscoli inferioris diaphragmatis carnibus, quibus interest, strangulatur, sed etiam vena caua, qua parte per circulum diaphragmatis tendineum ducitur, constringitur valide, ipsumque cor, cuius capsula tendini diaphragmatis adhaerescit, in situ turbatur, ex quibus omnibus anomalum cordis et arteriarum motum subsequi necessum est. Id ipsum euenit spasio hysterico conuulsis. Videas puellas, quae, quo tempore menses imminet, immanes musculorum distorsiones, lypothymias, strangulatus vterinos experiuntur, comitante non tantum pulsu inaequali, sed etiam *ἀσυσχία*, aut pulsu ad sensum nullo. Eadem fata experiuntur foeminae,

y) Accuratissime motus cordis et arteriarum anomalos descripsit Richard Lowerus Tr. de Corde a p. 136. ad p. 150.

minae, quo tempore tributum lunare solui desinit, quibus passio hysterica haud raro circulum sanguinis miro inuertit modo. Praeterea nulla est spasmodum et conuulsionum species, quae non aliqua ratione pulsus interuertat.

§. XIII.

De pulsu intermittente ab infarctu et dilatatione arteriarum.

Quodsi minimarum arteriarum infarctus cordis motum instabilem efficere valet, multo magis contremiscet cor, quodsi eius ventriculi vel arteriae magnae fibrosa sanguinis concretionem, quam polypum vocant, cauum aliqua ex parte oppletum habuerint: ²⁾ Polypos scilicet non tantum eruditi, sed etiam plebei enarrant, nec facile quispiam est, postquam inaequalem arteriae motum, vel in se ipso, vel in aliis expertus est, quin statim polypum cordis subesse autumat. Nec a vero semper abesse arbitror, qui ita statuunt, quandoquidem id pulmonum labe tactis, cachecticis, pituita farctis, aut fibroso sanguine abundantibus euenire solet ut plurimum, quo tandem corpus heterogeneum, seu polyposa substantia ventriculis cordis innascatur, et abinde, quod cadauerum sectiones abunde docuerunt, per aortam, arteriam pulmonalem, venam cauam aut pulmonalem, protendatur flagellis longissimis et pro vasorum discrimine etiam diuisis. Horum varias penes Autores descriptas legimus historias. Qua ratione autem polypi motum cordis anomalum inducere valeant, in expedito esse arbitror. Sit eiusmodi concretio in venae cauae vtriusque confluenta, auricula dextra, ventriculo dextro, occupabit illa totius diametri aliquam par-

D 2

tem

2) Conf. Iacobi de Sandris de naturali et praeternaturali sanguinis statu, Francof. M. 1712. de polypo cordis, p. 217.

tem, hinc ventriculi futura est ex parte vacuitas laterumque versus septum inaequalis contractio, fluctuabit polypus ipsaque valvulas, quae pulsum, mireris id a Cartesio dictum fuisse, ^{a)} faciunt, in actione impedit, eritque dextri ventriculi, quapropter etiam sinistri systole quandoque nulla, vel diastole diuturnioris morae. Eadem res ita sese habet, quodsi pulmonalis vena eiusmodi monstrum aluerit, decetque eiusmodi aegrorum pulmones sanguine admodum esse turgidos, vnde eiusdem fit versus arteriam pulmonalem restagnatio et abinde pulsus cordis inaequalis. Haec res, ne foetui eueniret, euenire autem debuit ob pulmones collapsos nec arterioso sanguini cedentes, fabrefacta sunt ista motus sanguinis in foetus auxilia, viarumque compendia, quae sub nomine foraminis ovalis et canalisi arteriosi admirari satis non possumus: Sit polypus in arteria pulmonali, sanguine turgescet ventriculus dexter, et systole quaedam, donec resistentia superata est, diuturniorem moram habebit: omnium maxime conticescit pulsus, si polypus aortam farcit. Admiranda visu res est, eiusmodi peregrina corpora suis radicibus penitus trabibus fulcrisque cordis implicari, nec facile moveri, hinc ex polypo intereunt paucissimi, quotquot enim polypi compotes sub cultro habuimus, ex chronico aliquo morbo occidisse deprehensi sunt; Interea non negauerim exsolutum suis radicibus polypum derepente motum cordis suffocare posse. Sicut autem a polypis imminuitur arteriarum diameter, ita augetur ille, quodsi facta διατηρησι tunicae arteriarum expanduntur, verumque formant aneurisma, cuius signum, praeter tumorem mollem, est pulsus in ipso tumore myurus, nec

a) Pulsus ait Tractatu de homine p. II. arteriarum dependet ab undecim parvis pelliculis, quae veluti valvulae quaedam claudunt et aperiunt orificia quatuor vasorum duobus cordis ventriculis respondentium.

nec tam pulsus, nam nec ad sensum eleuatur quidem arteria, quam commotio tremula et formicatio seu susurrus, singula cordis systole increbescens, dum quae infra tumorem est arteria pulsus habet serpentem, vermicularem et valde incertum: Euenire solet, quod ipse aortae truncus, ^{b)} qua parte ventriculo cordis sinistro exsurgit, in tumorem aneurismoidem explicetur, prout sub cultro anatomico fuit, quo tempore admirati sumus singularem naturae industriam, quae inter aortae tunicas calcariam, pro euitanda ruptura materiem collegerat. Eiusmodi aegri qualem pulsus habeant, nec ob tenuem in arte peritiam ex contactu didici, nec legisse vllibi memini, decet autem eundem esse vndosum, fluctuantem et quandoque interquiescentem.

§. XIV.

De indicationibus ex considerato pulsu intermittente nascentibus.

Sicut plurima sunt medicinae sphygmicae, quoad theoriam causarum et euentuum commoda, ita non inferiores, quod praxin attinet, ex prudente pulsuum, maxime inaequalium consideratione nascuntur opportunitates, habetque medicus vberissimam lucem, qua in eligendis auxiliis medicis ad restituendam aegri sanitatem et finistros, qui euenire possunt, rerum casus euitandos vti possit: Ducit enim pulsus inaequalis, ad cognitionem causae morbificae, cui remouendae remedium quaeritur. Pulsus inaequalis, viribus caeteroquin integris, nullaque ad sensum actione laesa, deplenda esse sanguine vasa et venae sectionem instituendam,

D 3

indicat,

b) Curiosa est eiusmodi aneurismatis descriptio, quae habetur Commentar. Acad. Scient. Imperialis Petropolitanae Petropoli Tom. VI. 1738. 4to Aut. I. G. D.

indicat, maxime, si excretionum sanguinearum anomaliae adfuerint. Quamuis enim ita videri possit, ac si colatoria sanguinis, catamenia vel haemorrhoidum oscula, aperienda sint illis, quibus, ab impedito eorundem fluxu periodico cor subsilit, metuendum tamen, ob magnam, quae pulsu indicatur resistantiam, ne forti medicatione per inconfueta loca maxime per pulmonum cellulas fiat effusio. Ast spasmo viscerum conuulsae arteriae si celeritatis aequalitatem haud seruaerint, id postulant, quo antispasmodica et paregorica in usum pertrahantur: Habent in consopendis istis motibus singularem virtutem salia media, liquores falsi, succinata, nec ab opiatibus legitime correctis et parca dosi exhibendis abhorremus, in quorum locum succedunt, quandoque crocata, papauerina, castoreata, cinnabarina. In spasmodicis intestinorum quantum iuuent enemata, quis ignorat. Visceribus obstructis mature opponimus, quamdiu vires aegri constant, nec hectica febris accessit, mineralium aquarum usum, aut serum lactis chalybeatum, si illarum copia haud fuerit, deinde armoniacalia, et omne diureticorum, id est, aperientium genus. Pulsus inflammatorum inaequalis, si vires aegri permiserint, ineunte morbo postulat venae sectionem, aut debilis et inaequalis, qui malignitatis, putredinis, vlcis, abscessus, puris per venas ad sanguinem profecti, index est, in febribus acutis, nulla alia imperat remedia, quam diapnoica temperantia cum camphorae tantillo. Nec tunc quidem audemus nitratis, vti, aut refrigerandi vim habentibus, cum eiusmodi aegri analepticis sustinendi sint magis, quam nimio medicamentum studio relinquendi.



V I R

C L A R I S S I M E.

Qui *TVI* istius instituti, cuius *TE* non poenitere arbitror, *Autor* eram, quo animum arti salutari addiceres, postquam *TE* dotibus istis ingenii sine quibus proficere haud possumus, abundare intellexeram, nunc studiorum cum laude ad colophonem perductorum praemium publice a me *TIBI* statui, quantum sit, quod gaudeam, dicere satis nequeo. Noli a me expectare laudes, quas ex *TE* ipso habes, ne mercenariae, quas nepoti ex sore, auunculus, tacitus *TIBI* decerno, videantur. Loquuntur pro *TE* praeceptorum fauor, commilitonum propen-



propensus in TE animus, amphitheatrum anatomicum a TE singulari studio auctum, et noua haec, quam gratiosus ordo TIBI lubens impertitur, dignitas. Accedit honori fortuna, quam Dei prouidentiam appellare satius est, haec TE ad exteros vocat, Germanici nominis amantissimos, literarum et efficacioris medicinae studio claros, quos TVA opera iuuabis, et a quibus cum fama artis incrementum lucraberis. Deus TE, quem filii loco habeo, mihi TVISque reddat incolumem. Scias autem ibi esse patriam, ubi bene est. Vale.



